



Forum Beneficiale, Sive Quæstiones & Responsa Canonica

Materiam De Beneficiis Universam Ex Beneficialistarum tam antiquorum, quàm recentiorum placitis complectentia. Opus methodo novâ, & clarâ in tres digestum Partes ... accuratè, ac copiosè instructae

De Vacatione, Amissione, Et Extinctione Beneficiorvm ...

Leuren, Peter

Coloniæ Agrippinæ, 1704

667. An habens facultatem retinendi pensionem determinato tempore post contractum matrimonium, v. g. per annum, ante annum illum elapsus suscipiat officium, seu ingrediatur Ordinem talis militiæ, cui ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74494](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74494)

ad casum futuri ingressus in talem aliquam militiam tolerantem matrimonium. Lott. cit. n. 203. siquidem Pius V. in Constitut. sua superius memorata, ut Lott. n. 205. revocavit indulta omnia & privilegia concessa similibus militibus, puta S. Jacobi de Alcantara, de Calatrava, S. Stephani. S. Lazari &c. quod ad habendas retinendasque pensiones, ita ut earum milites seu fratres, sive conjugati, sive clerici, sive etiam presbyteri, nullas deinceps recipere possint pensiones Ecclesiasticas, & eas solum, quas habebant, retinere, sine facultate illas transferendi alias vero privatas dispensationes, & gratias retinendi pensiones militibus seu fratribus quarumcunque militiarum similibus, aut hospitalium ita moderatus est, ut vi earum soli tales milites non conjugari, aut bigami novas recipere, & antiquas retinere possent, & quam primum nupserint, etiam unica, & virgini, eas amittant sine facultate transferendi Lott. cit. n. 205. junctis n. 206. & 207. dum itaque Papa dispensat cum aliquo, ut professus talem militiam retinere non solum possit pensionem in statu talis militiae (quod facillime facit. Lott. n. 209.) sed etiam ut id possit, casu quo contraxerit matrimonium (dum enim hi milites ut plurimum utuntur matrimonio, solet non solum Paps contra statum hunc militare, sed & contra matrimonium in eo futurum dispensare quod ad capiendas, & retinendas pensiones, Lott. n. 210.) id intelligitur de primo matrimonio, ita ut si talis dispensatus matrimonium iteret, mox pensio ab eo habita extinguatur, Lott. n. 208. Ventrigl. loc. cit. n. 20. Gonz. gl. 11. n. 83. juxta Rotam in Placen. pens. 21. Novemb. 1596. Loquunturque Ventrigl. & Gonz. absolute, praescindendo a talibus militibus, nimirum facultatem retinendi pensionem contracto matrimonio, intelligi de contracto primo matrimonio, nisi aliud exprimat; sicuti dispensationem & gratiam illam concessam dictis militibus solere ampliari, etiam si saepe matrimonium reiterent per hanc clausulam: *etiamsi contrigerit te ad secunda, & alia plura vota transferretur* Lott. n. 211. qui etiam juxta decis. Rotae, quam citat, in *Cesar-august. pens. 18. Jun. 1610.* tradit, quod, licet sine hac clausula per dictam dispensationem evitetur extinctio pensionis ex bigamia interpretativa ex unico matrimonio contracta (quod idem dicere velle videtur Ventrigl. dum n. 19. ait: si dispensatum a Papa, etiam si contraheret matrimonium cum quacunque muliere, censetur dispensatum, etiam si contraheret cum corrupta; inde enim nascitur bigamia interpretativa) non tamen evitaretur haec extinctio ex hac vera bigamia propter reiterationem matrimonii. Et n. 213. concludit, quod quoties Papa cum Clerico dispensat ad effectum capiendi retinendi que pensiones, non tantum quod ad assumendum statum talis militiae regularis, sed & in matrimonio; quin & in eo reiterando, si opus sit, in omnibus hisce gradibus dispensationis derogare dictae Constitutioni Piana juxta dicta a se. n. 192. Porro, dum in tali dispensatione Papa semper praeservare intendat, tam jus singulare, seu statuta specialia, vel etiam privilegia cujusque talis militiae (quibus v. g. vetatur, non quidem matrimonium, sed matrimonium initum sine consensu magni Magistri talis Ordinis; vel initum cum viduo, vel iteratum) quam jus commune concernens impedimenta dirimentia matrimonii, adjiciendo nimirum binas has clausulas: *ac etiam matrimonium juxta statuta & stabilimenta dictae militiae, quam te profiteri*

contrigerit, aut privilegia apostolica eidem militiae concessa &c. & alteram: *cum quavis muliere, nullo tamen jure tibi prohibita &c.* Dum inquam hac ratione coarctat dispensationem Papa, si talis contra statuta ordinis sui de facto tale matrimonium qualifset: tum inerat, evanesceret dispensatio, & consequenter intraret extinctio pensionis saltem in eo casu, dum jus speciale, seu statutum talis militiae non tantum prohibet tale qualificatum matrimonium, v. g. iterarum, vel cum vidua; sed etiam contrahentem illud exuit omnibus privilegiis militiaribus. Castrop. de benef. d. 1. p. 11 §. 10. n. 7. Azor. p. 2. l. 8. c. 10. q. 11. Lott. loc. cit. n. 221. junctis aliquot num. anteced. An vero idem sit, ubi statuta illa id solum prohibent, non vero eundem privant privilegiis talis militiae? negat Castrop. cum Azor. Lott. an. 221. fusè pro, & contra disputat, quem vide. Illud indubitatum, non suffragari dispensationem hanc, si contrahat de facto cum contanguinea, vel affine in gradu prohibito, Ventrigl. cit. n. 19.

6. Denique notandum, responsum principalem non procedere, dum agitur de pensione laicali, reservata pro servitio aliquo praestito, aut praestando, comparibili cum matrimonio. Lott. l. 1. q. 42. n. 50. Ventrigl. loc. cit. n. 17. citans Garc. p. 1. c. 5. n. 105. Beltram &c.

Questio 646. An extinguatur pensio, si pensionarius, qui obtinuit facultatem eam retinendi contracto matrimonio post professionem, in dicto tali aliquo ordine militari emitteret professionem illam ante annum 16. aetatis, vel antequam novitium expleset, & ita contraheret matrimonium?

Respondeo negativè; siquidem talis Professio non est nulla, sed valida. Tridentinum enim sess. 25. c. 15. de regular. annullans talem professionem, hos milites strictè non religiosos non comprehendit, cum loquatur de religiosis communem vitam degentibus, & veram paupertatem, & castitatem voventibus. Castrop. loc. cit. n. 4. citans Sanch. de matrim. d. 44. n. 4. Azor. p. 2. l. 8. c. 10. q. 11. Paril. l. 6. q. 2. n. 115.

Questio 647. An habens facultatem retinendi pensionem determinato tempore post contractum matrimonium, v. g. ad annum, ante annum illum elapsum suscipiat officium, seu ingrediatur ordinem talis militiae, cui conceditur facultas retinendi pensionem, possit pensionem illam retinere, ac si nullum matrimonium contraxisset?

Respondet Castrop. cit. §. 10. n. 6. Rotam id negare in Roman. pens. 13. Martii. 1609. ed quod privilegium talis militiae sit retinendi pensionem matrimonio contracto, quo retineri ea poterat ante susceptam talem militiam; sed tunc tantum unico anno poterat eam retinere Sibi verò videri probabilius contrarium, nempe quod possit retinere illam ultra illum annum, & deinceps in perpetuum; ed quod pensio illa primitus fuerit concessa non pro limitato tempore, sed absolute; cumque extingui deberet contracto matrimonio, ea extinctio suspensa fuerit per facultatem pro uno anno post matrimonium concessam, adeoque, si intraret militiam, cui concessa pensionum prorogatio non obstante matrimonio, prorogeretur quoque illius fu-

suspensio; cum superveniens militia impediatur extinctionem, quam matrimonium causare debebat, sicut si post assumptionem militiam matrimonium contraheretur. citat pro hac sententia sua Garciam,

Questio 648. An per ingressum in Religionem, vel per Professionem religiosam extinguatur pensio?

Respondeo. Per professionem religiosam extinguatur pensio clericalis, quam quis ante illam habebat super beneficio seculari. Ventrigl. to. 2. annot. 21. §. 3. n. 22. Card. de Luc. de pens. d. 44. n. 2. Tond. qq. benef. p. 3. c. 196. n. 9. Castrop. de benef. d. 1. p. 11. §. 10. n. 8. Garc. p. 1. c. 5. n. 114. (qui duo postremi id quoque extendunt ad professionem tacitam) contra Rebuffi, de Pacif. poss. n. 177. dum is voluisse videtur, quod pensio durante vita Regularis debeat monasterio pro alimento religiosi, quod Tond. loc. cit. n. 12. ait, intelligendum de pensione temporali data in stipendum pro aliquo ministerio, aut servitio Ecclesie praestito, aut praestando, cuius servitii capax sit religiosus. De cetero

2. Ampliatur responsio primò; ut procedat etiam quò ad professionem factam in Ordine religioso militari. Tond. loc. cit. n. 15. Castrop. loc. cit. loquentes expressè de religioso Ordinis S. Joannis Hierosolymitani. Ventrigl. loc. cit. Corrad. pr. benef. l. 6. c. 1. n. 29. ponens formam dispensationis, quæ egeat tales milites religiosi. contra Sanch. in decalog. l. 7. c. 29. n. 103. apud eund. Tond. De militibus verò regularibus non propriè religiosi, quia contrahere possunt matrimonium, dictum satis *quest. preced.*

3. Limitatur è contra responsio primò, ut non procedat de religiosi societatis Jesu, hi enim sicut bona alia retinere possunt post emissam absolute novitatu vota simplicia (per quæ efficiuntur non minùs verè religiosi, quàm Professi) ita etiam pensiones ecclesiasticas prahabitas. Ventrigl. loc. cit. n. 23. Castrop. loc. cit. hinc expressè rectè advertit Sanch. in decalog. l. 7. c. 29. n. 10. per vota biennii facta à religioso societatis Jesu non vacare pensiones, sed eas possidere posse, interim dū professionē, vel vota coadjutorum formatorum emittunt. Et sic expressè habetur in Epitome Institutum Societatis. p. 1. c. 6. §. 5. §. 3. tempus, quo permittitur bonorum possessio, est quadriennium, in cuius prorogatione nulli, praterquam Generali dispensare licet, pensiones tamen Ecclesiastica similiaque generum horum, quæ verè personalia sunt, & super nostrorum personis constituuntur, quibus absolute, & in solidum abdicare se nostros non expedit, Patris nostri iudicio distribuenda erunt, ita ut nulla talium administratio apud illos maneat &c. Desumpta sunt hæc verborenis ex Decreto 17. Congregat. general. 7. §. 4. unde jam aliter hac in parte loquendum de pensionibus religiosorum Societatis Jesu, quàm de eorundem beneficiis, & non inferendum à beneficiis ad pensiones (uti perperam facit Tond. loc. cit. n. 22. dicens, id probari à Sanch. in decalog. loc. cit. n. 101. nimirum, quòd, sicut retinere nequeunt beneficia, ita nec pensiones, uti & è contra Ventrigl. dicens, posse illos retinere beneficia, & pensiones) siquidem circa beneficia ecclesiastica, quæ nostri ante ingressum in Societatem habent, statuitur decreto 5. Congregat. general. 5. ut finito probationis biennio, priusquam vota simplicia scholasticorum emittant, ea omnino resignent, non obstante Canone 1. Congregat. 1.

4. Limitatur secundò responsio, ut non extinguatur pensio, si ex tenore literarum constaret, talem fuisse mentem Papæ, ut pensio non obstante professione deberetur. Tond. loc. cit. n. 13. qui etiam n. 14. subiungit ex Corrad. pr. dispens. Apost. l. 6. c. 1. n. 37. quòd Papa in talibus dispensationibus, quæ conceduntur religionis professis, concedere soleat pensiones sub titulo administrationis, & sub potestate sui Superioris. Item addit n. 16. ex eod. Corrad. loc. cit. n. 38. quòd, si religiosus dispensatus ad beneficium sæculare illud dein resignet cum reservatione pensionis, non egeat novà dispensatione ad obtinendam pensionem; cum ea pensio subrogetur loco beneficii resignati, licet dicat Corrad. Officiales Romana curia tenere, quòd egeat novà dispensatione.

Questio 649. An, & qualiter extinguatur pensio per promotionem ad Papatum?

Respondeo negativè, seu per assumptionem pensionarii ad Papatum non extinguatur pensio ab eo habitam. Lott. l. 1. q. 4. n. 1. Ventrigl. to. 2. annot. 11. §. 3. n. 36. Corrad. pr. benef. l. 5. c. 4. n. 15. contra Gabriel. conf. 200. n. 2. l. 2. Hojedum de incompat. p. 1. c. 1. n. 12. quibus inhaerent Garc. p. 1. c. 5. n. 113. Paris. l. 2. q. 1. n. 9. (qui etiam dicit, hanc suam opinionem esse communem) Gratian. discep. for. c. 269. à n. 13. & alios passim, quorum sententiam non esse in praxi receptam asserit Corrad. loc. cit. Responsionem probat Lott. evertendo bina fundamenta, quibus nititur Gabrieli: nimirum quòd sicut per assumptionem ad Episcopatum expirat pensio; & quòd cessante causà reservatæ pensionis, quæ est sustentatio pensionarii, cesset pensio. Ad primum enim dicit Lott. loc. cit. n. 7. quòd de jure communi non extinguatur pensio per assumptionem ad Episcopatum, de quo paulò pòst; & ut ait n. 10. dato hoc, non procederet adhuc illatio ad assumptionem ad Papatum, cum nequeat esse lex ultra scripta Dei Vicario; & licet Princeps profiteatur, si velle vivere secundum leges. l. digna vox. c. de ill. id tamen ad rem non facit; cum hic quaratur, an extinguatur pensio ipso jure ex facto promotionis ad Papatum, quod necessariò supponit coactionem ex parte legis; si enim accederet voluntas ipsius Papæ habentis pensionem suam pro extincta, resultabit quidem extinctio ex voluntate ipsius; at non ex ministerio legis eum cogentis, pro quo citat D. Tho. 1. 2. q. 96. a 5. ad 3. Felin. in c. 1. n. 25. de constitut. Ad secundum ait n. 1. juncto n. 11. id factum esse, quòd cessante causà illà extrinsecà rei res jam constituta in esse pereat, & quòd cessante dictà causà finali alimentationis, tum demum cesset reservatio pensionis, si dicta causà cesset, seu non sit tempore ipsius concessionis gratia pensionis, ita ut exinde causetur error in concedente, & mentis seu voluntatis defectus. Confirmat eandem responsionem Lott. n. 14. ipso facto summorum Pontificum juris prudentissimorum, qui pensiones vel exegerunt per totum Pontificatum, vel eas in personas sibi bene visas transtulerunt, quod non fecissent, si vel suspicati essent, id aliquo modo contra jus, aut rationem esse, quod satis fuit indicasse suis successoribus, dum Principes non imponunt leges suis successoribus, sed exempla, juxta cit. l. digna vox. & ibi gl. v. indicamus.

Questio